

II n  
318

# Cauffam PARMENIONIS

INDICTA CAUSSA  
TRUCIDATI,

*SUB PRÆSIDIO*

## GEORGI CASPARIS

### KIRCHMAJERI,

Eloqv. Prof. Publ.

*Ad ductum Generis Juridicialis,  
publicè exponet*

*Ad Diem 11. Octobr. A. cI<sup>o</sup> 1<sup>o</sup> LXXV.*

WITTEBERGÆ

*In Auditorio Majori,*

CHRISTIANUS FRIDERICUS Franckenstein /  
LIPSIENSIS.



Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



R. 17.







FRANCKENSTEINIO SUO

S. P.

**E** Pistolam me poscis ? vicariam sermonis, præsentis ad præsentem ? Epistolas recenti usu ita texunt, carmina qui nolunt. Sed est scriptum animi ad absentes nuncium epistola. Vox sola, & vel Veterum auctoritas pro teste. Id genus rectius appelles codicillos, Senecâ expositore ad Lucilium. Quodcunque nomen ferat scriptio hæc mea; gratulationis pariter ac hortamenti vicem subitura est. Patriæne primùm & Parenti ? an tibi de Patria & Genitore gratulari prius debeam ? ignoro ferè. Huc jam ætatis pervenisti, ut, si velis, possis; imò debeas minari magna Studium Legale quidem deperire niteris; sed ita tamen, ut Humaniora sedulò expolienda censeas. Horum ope quantum valiturus sis in illo, promulsidem apponis sub *Parmeniana causa.*

O



O felicissimum in patrisante filio Parentem !  
 O filium feliciorum, cui tot in publico egregio ingentia Parentis merita tot decora & fautores concinnarunt ! Literarum juventutis tuæ formatoribus, laudum fastigia jam pridem supergressis Viris Professoribus in almâ Philyréa (quos signo, haud exprimo; ne assentari videar,) quis non & propter te congratuletur ? Maçte sis hoc animo, hoc plausu FRANCKENSTEINI mi ! Nihil à virtutis, nihil à solidioris eruditionis, & quam primò nominare debuissem, pietatis via regia te abstrahat, ne quidem sodalitiùm ! Tot sanguinis & tot Affinitatum splendidarum juribus in nexa Domus FRANCKENSTEINIANA est, ut sola hujus stimuli memoria non dico alacrem, sed vel ignavisimum quemvis incitare possit. Quamquam quid opus hortatore excitationis mentibus, ab ortu suo in pulcherrimos progressus succrescentibus ? quos tibi proprios perpetuosque apprecor ex animo !

PRÆSES.





B. C. D.

CAPUT I.  
CONTENTA EJUS.

- |   |  |  |
|---|--|--|
| 1. <i>Casus Parmenionis memorabilis.</i>      |  | <i>atq; circumstantia ex Curtio referuntur.</i>  |
| 2. <i>Exempla aliorum ex Historia veteri.</i> |  | 5. <i>Illustratur argumentum idem.</i>   |
| 3. <i>Laus &amp; eminentia Parmenionis.</i>   |  | 6. <i>Temporis &amp; loci observatio, quando &amp; ubi trucidatus fuerit Parmenio.</i> |
| 4. <i>Repentine interfectionis causa</i>      |  |  |

§. I.



**C**asus Parmenionis, indictâ causâ & inopinatò trucidati, plurimam mereri pariter & capere considerationem visus est. Vix illustriorem enim argumenti de causâ Majestatis in antiquitate universâ facilè reperis tractationem. Judicio nimirum Alexandri Magni damnatus capitis, non accusatus, indefensus, inauditus, nihil mali metuens, conquisitis omnibus in speciem amicitiae prætextibus, occiditur. Cujus tantò attentione dignior interitus, quantò Regibus Principibusq; multis grandior feliciorq; Alexander orbis domitor extiterat.

§. II. Nihil novi igitur accidere, si summi sæpiùs ministri, urgente caussarum pondere, incauti opprimantur, nullâ ratione editâ, tot passim apud Oratores & Historicos exempla docent. Quis enim verò *Catilinarias* Romani Consulis Orationes, aut *Rabirianam*, aut *Philippicas* ignorat? Affecti ultimo supplicio illustres Viri sine morâ, *Lentulus*, *Cethegus*, *Antonius*, *Varguntejus*, similesqve, ex sententiâ Catonis etiam ac Ciceronis Consulis; in carcere, ut parricidæ, strangulati sunt. non parùm interim tumultuante, post id facti, Clodio;

△

quòd



quod nobilissimi alioque cives inaudita interfecti causa essent. *Manlium* quoque à *Servilio Abala*, Equitum Magistro, jussu Dictatoris *Quintii Cincinnati* in foro medio protinus occisum, & *M. Manlium*, Regni affectati sine prolixo juris strepitu condemnatum, egregiae aliquot Orationes *Livii* ostendunt. Jam quis *Philota*, *Amynta*, aut *Simmia*, *Hermolai* juvenis & sociorum casus causasque horum non expendit apud *Curtium*? Ut de *Sejani* apud *Tacitum* & *Dionem*, *Cinnaeque* apud *Senecam* exemplis nihil amplius adjiciamus.

§. III. Ad *Parmenionem* potius redimus. Quo de rotundo ore *Curtius* hæc affert: (1.7. c.2.) *Militiae domique, clarus vir Parmenio. Multa sine Rege prosperè; Rex sine illo nihil magnæ rei gesserat. Felicitissimo Regi & omnia ad fortunæ suæ exigenti modum satisfacit. LXX. natus annos, juvenis ducis, sæpè etiam gregarii militis munia explevit. Acer consilio; manu strenuus; carus Principibus; & (ut idem l. 3. c.6.) fideissimus Purpuratorum.* Hic talis tantusque; Vir suspectus tantum criminis adversus Regem, non convictus, ne dum confessus, cecidit repente. Tragœdiam per causas, circumstantias & consequentia descripsit accuratè *Rufus* (1.7. c.2.)

§. IV. Longè acceptissimus *Parmenioni* erat, proximusque lateri in atie stare solitus *Polydamas*. Et quanquam conscientiam fretus, (vocabatur enim præter solitum cum fratribus,) in regiam venerat; tamen ut jussus est fratres suos exhibere, admodum juvenes, & Regi ignotos ob atatem, fiducia in solitudinem reversa trepidare cepit. Jam armigeri, quibus imperatum erat, produxerant eos; quum ex sanguine metu *Polydamanta* propius accedere jubet, submotisque omnibus: scelere, inquit, *Parmenionis* omnes pariter adpetiti sumus, maximè ego ac tu; quos amicitiae specie fefellit. Ad quem persequendum puniendumque, (vide, quantum fidei tuæ credam) te ministro uti statui. Obsides, dum hoc peragis, erunt fratres tui. Proficiscere in *Mediam*, & ad præfectos meos literas scriptas manu meâ perfer. Velocitate opus est, quâ celeritatem famæ antecedas. Nocturno pervenire illuc te volo; postero die, quæ scripta erunt, exsequi. Ad *Parmenionem* quoque epistolas feres; unam à me; alteram *Philota* nomine scriptam. Signum annuli ejus in mea potestate est: sic pater credens à filio impressum, cum te viderit, nihil metuet. *Polydamas*, tanto liberatus metu, impensius etiam, quam exigebatur, promittit operam. Collaudatusque & promissis oneratus, deposita veste, quam habebat, *Arabi-*  
*bica*



223.

*bicâ induitur. Duo Arabes, quorum interim conjuges & liberi, vinculum fidei obsides apud Regem erant, dati comites. Per deserta etiam ob siccitatem loci camelis, undecimâ die, quò destinaverat, perveniunt. Et prius, quàm ipsius nunciaretur adventus, rursus Polydamas vestem Macedonicam sumit, & in tabernaculum Cleandri (prætor hic Regius erat) quartâ vigiliâ pervenit. Redditis deinde literis, constituerunt primâ luce ad Parmenionem coire. Namq; ceteris quoq; literas Regis attulerat. Jam ad eum venturi erant, cum Parmenioni Polydamanta venisse, nunciaverunt. Qui dum letatur adventu amici, simulq; noscendi, quæ Rex ageret avidus, Polydamanta requiri jubet. — Spatiabatur in nemore Parmenion medius inter duces, quibus erat imperatum literis Regis, ut occiderent. Agenda autem rei constituerant tempus, cum Parmenion à Polydamante literas traditas legere cœpisset. Polydamas procul veniens, ut à Parmenione conspectus, vultu lætitiæ speciem præferente, ad complectendum eum cucurrit; mutuâq; gratulatione functi, Polydamas epistolam ab Rege scriptam ei tradidit. Parmenion vinculum epistolæ solvens, quidnam Rex ageret? requirebat. Ille, ex ipsis literis cogniturum esse, respondit. Quibus Parmenion lectis: Rex, inquit, expeditionem parat in Anachosios; Srenuum hominem & nunquam cessantem. Sed tempus salutis suæ, tantâ jam partâ gloriâ, parcere. Alteram deinde Epistolam, Philotæ nomine scriptam lætus, quod ex vultu notari poterat, legebat. Tum ejus latus gladio haurit Cleander, deinde jugulum ferit; ceteri exanimem quoq; confodiunt. — Capite deciso truncum humare permisit. ad Regem caput remissum est. Hic exitus Parmenionis fuit.*

§. V. Exhibendus, propter atrocitatem facti & consilii calliditatem, locus integer, prolixior quantumvis, fuit. Observa hinc damnosâ & vaferrimas insidiandi artes. Mittitur & immittitur Polydamas, admissionis intimæ apud Parmenionem. Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen. Dementatur variis ad patrandum facinus hoc modis. Jubetur summâ festinatione imperata facere; ut celeritate famam anteverteret, quid filio infelicissimo Philotæ accidisset hætenus, facile evulgaturam alioqui. Jubetur obsides in aula fratres (fidei & securitatis gratiâ,) relinquere. Jubetur adventare noctu, & postero mox die exsequi mandata. Jubetur Arabicam, pro veste Macedonicâ induere, ne in itinere agnosceretur. Concessi comites viarum duo Arabes, religione conjugum obstricti atque libero-

A 2

rum.



rum. Committitur ferali nuncio epistola, à Rege ipso una, altera Philotæ nomine, jam dum supplicio affecti. Benè omnia habere, ac, rem geri strenuè, refertur. Adjunguntur etiam secretiores ad Cleandrum aliosq; duces literæ, accelerandæ necis indices. Proficiscendum per deserta fuit: Cameli igitur cursorii ( quos *Dromadarios* fuisse, *Diod. Sicul.* lib. XVII. c. 80. & *Strabo* in *descript. Arianae* c. 15. memorat,) ad portandum alimenta & maturandum opus dati. Advolans amicorum inimicissimus Polydamas, spatiantem in secessu nemoris Parmenionem inter duces medium salutat, vultu præferens lætitiã, & complectitur adulatoriè Patronum pessimus sicariorum. Convenerat, uti falleret occultius percussor, cum lætabundus legeret epistolam Philotæ filii, confoderetur protinùs. Dictum, factum. Cruentatur sanguine Parmenionis sui: amicorum mutatur in momento fides. Hi seculi istius, hi Alexandrinæ aulae mores fallacissimi: quibus, securus de judicio posteritatis, usus, vel abusus maximus Monarcha fuit.

§. VI. De Temporis Lociq; circumstantiis si quæras, scito: post Darium prælio ad Gaugamelam ( Arbelam vulgò, sed confuse vocant, ) victum, postq; fugam Satibarzanis & perfidiam Philotæ factum hoc; ante interitum Amyntæ Bessiq; fugam, & in hunc susceptam expeditionem, sed & ante Cliti cædem. Cum enim neque *Diodorus Siculus*, aut *Curtius*, aut *Arrianus*, aut *Plutarchus* memoriæ prodiderint distinctum tempus, tum idem ex antecedentium & consequentium contextu eruendum nobis. Vixerat nimirum Alexander annos VII. post Darium, perfidiâ suorum interfectum. Quos inter Bessus ultricem Numinis expertus pœnam est Anno I. Olymp. 113. si *Petavium* sequamur. Ipse verò Orbis domitor Babylone vitam & imperium reliquit, cum Olympias acta esset 114; testibus *Josepho* l. 1. contra Appion. *Arrian.* l. 7. & *Euseb.* lib. 8. demonstr. Evang. c. 2. Sublato nempe adversario Dario, curis laxatus animus Macedonis superbè fuit. *Excepere eum* ( inquit *Rufus* 6. 2. ) *voluptates: & quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempestiva convivia, & perpotandi pervigilandiq; insana dulcedo, ludiq; & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem. Quem emulatus, quasi potiorem suo, ita popularium animos oculosq; pariter offendit, ut à plerisq; amicorum pro hoste haberetur. — Hinc sæpius comparata in caput*  
ejus



225.

*ejus insidia: secessio militum, & liberior inter mutuas querelas dolor: ipsius deinde nunc suspiciones, quas excitabat inconsultus pavor, ceteraq; his similia; quæ eodem libro inter alia quoque de Philota retulit Historicus. Tempus proximum ante iter Ariaspas pronuntiatum & in Arachosios expeditionem rejicimus cum Curtio l. 7. c. 3. Locum ipse generatim designavit Alexander Polydamanta allocutus: Proficiscere in Mediam, & ad præfectos meos literas scriptas manu meâ perfer. Nemus autem cœdi patrandæ visum ibi commodum. Diversoria regionis illius magnos recessus habent amœnosq;, nemoribus manu confitis: ea præcipuè Regum Satraparumq; voluptas erat. Spatiabatur in nemore Parmenion, medius inter duces, quibus erat imperatum literis Regis, ut occiderent. — — Tum ejus latus gladio haurit Cleander, deinde jugulum ferit; ceteri ex animem quoq; confodiunt. Cætera vide apud Ratum c. 2. lib. 7. Jam enim ferendum de facinore judicium nobis est.*

## CAP. II. CONTENTA EJUS.

- |  |  |
|--|--|
| <p>1. <i>Examinatur factum hoc secundum requisita Generis Juridicialis.</i></p> <p>2. <i>Κεῖνὸς ὄψων, quòd vitæ fortunæq; Regiæ insidiator fuerit, probavit Alexander variè.</i></p> <p>3. <i>Ex voluntate, per suspicionem, orbitatis causâ. Incommoda ejus exponuntur.</i></p> <p>4. <i>Occasio suspicionis, Alexandri ἀποθέωσις &amp; nimia fortuna, Parmenioni pariter invisâ ac Philotæ.</i></p> <p>5. <i>Suspectatus alio ex casu, propter Regis valetudinem Parmenio,</i></p> <p>6. <i>Odium Philotæ Rex altissimâ mente prescit, ut securum redde-</i></p> | <p><i>ret. Simile experti fatum Quinque Martius &amp; Thuanus, filius, in Galliis.</i></p> <p>7. <i>Arguitur ex impulsione atq; ratiocinatione voluntas insidiandi.</i></p> <p>8. <i>Facultatem ad fuisse etiam, ostendit Alexander. Ministrorum nimia potentia, ruinæ proxima.</i></p> <p>9. <i>Ex antecedentibus &amp; consequentibus collegit idem Rex. Ad affectus commovendos expositum cadaver Dymni αὐτόχρηστος.</i></p> <p>10. <i>Confessio insidiandi à Philotæ inter quæstiones factum asserit.</i></p> <p>11. <i>Lex Macedonica terribilis in propinquos scelerati.</i></p> |
|--|--|



12. *An jure dominationis potuerit  
Parmenio interfici?*

13. *Perduellionis atq; Majestatis  
crimen vindicari solet sine stre-  
pitu. Exempla vetera & nova  
adducuntur.*

14. *Exponitur Walsteinii mors.*

15. *Inauditum Caroli Hispani fa-  
ctum, adnotatur ex Thuano fu-  
sius.*

16. *Suspiciosi præpotentes Principes;  
nec abs re. Sic & Alexander  
tunc improlis.*

17. *Ex signis præsentibus duobus Par-  
menio convictus cum Philota.*

18. *Similiter ex præteritis.*

19. *Potentia & opulencia irrita-  
menta pœnæ in excelsis viris.*

20. *Futura etiam adjiciuntur signa;  
inter quæ potissimum, cupiditas  
regnandi.*

§. I.

**I**N genere versantes juridicali, quod Rhetoribus proprium dome-  
sticumq; semper fuit, observabimus in præsens. De justitiâ forensis  
rei & litigiosæ agi hîc, quis non intelligit? Accusabimus in Genere  
Judiciali igitur Parmenionem nunc; & ingenii exercendi gratiâ, suo  
defendemus loco iterum. Ita enim, per oppositas utrinque rationes,  
quid de casu ejus statuendum tandem sit, constabit manifestius. Ini-  
tiò ad Status recurrendum, qui huic generi in primis competunt.  
*Status* vocant Rhetores non incidentem quæstionem quamvis, sed  
eam, quæ ex primâ accusationis intentione, & depulsione rei nasci-  
tur. *Κρινώδρον* appellant Græci, Latini *judicationem*. Concedendus  
autem generi judiciali status quadruplex: (1) *Conjecturalis*, an res  
facta sit, fieriq; possit, aut potuerit? indagans: (2) *Definitivus*, quod-  
nam sit facti perpetrati nomen? (3) *Qualitatis*, jurene an injuriâ ali-  
quid sit factum? (4) *Quantitatis*, an facinus tantum reputandum,  
quantum habeatur? De conjecturali notâ, quæri, quid de existentiâ  
rei factiq; per locos, causas, atque ratiocinationes conjectando asse-  
quere, quid factum sit, aut fieri potuerit, aut qui non? Locum ejus  
tres sunt, *voluntas, facultas, signa*. Voluntatem probant causæ factum  
istiusmodi antecedentes partim, partim etiam eventus atque conse-  
quentia. Antecedentes consistunt in impulsione nec non ratiocina-  
tione. Impulsio affectus comprehendit, qui efficientis locum obti-  
nent; ut *ira, odium, invidia, inimicitia*. Ratiocinatio à causis petitur  
finalibus; ut à spe commodorum, aut impunitatis. Ad facultatem  
refer



227.  
refer vires corporis aut potestatem, copias, opes, promptitudinem  
animi, tempus, locum, & perficiendi spem. Signorum alia rem ante-  
cedunt, comitantur alia, alia sequuntur. Sed nunc distinctè de distin-  
ctis; ne unà obruamus animum lectoris.

§. II. Quæstio principalis atque judicatio nunc est: fueritne  
insidiator vita fortunæ, Regiæ Parmenio? Sic persuaderi sibi passus  
Alexander, consilium secutus amicorum ducum, Crateri, Hephestio-  
ni, Cæni, aliorumque invidorum Parmenionis atque æmulorum fuit.  
Potuisse insidiari vitæ regis maximum ministrum, nemo dubitat:  
an fecerit? hoc quæritur. Voluntatem insidiandi arguebat Princeps  
suspiciens ex causis antecedentibus non unis. Detecta Dymni Nico-  
machi que & complurium adversus Regem conjuratio, in flagitii  
societatem, ex silentii diuturni culpâ, traxerat Philotam filium.  
Sive quòd haud verisimile (ut scribit Arrianus l. 3.) vide-  
retur, Philotâ Alexandro insidias parante, Par-  
menionem consilii ejus ignarum fuisse; sive quòd  
timendus fuisset propter interfectum filium, quia  
apud exercitum in magnâ erat existimatione.  
Sistendus accusator potentissimus ipse apud Curtium 6. 9. Quanto,  
inquit, majorem in animis vestris motum excitabo, quum tanti sceleris  
autores ostendero: quorum mentionem adhuc reformido; & tanquam  
salvi esse possint, nominibus abstineo. Sed vincenda est memoria pri-  
stine caritatis, & conjuratio impiorum civium detegenda. Quomodo  
autem tantum nefas sileam? Parmenio, illâ etate, tot  
meis, tot parentis mei meritis devinctus, omnium  
nobis amicorum vetustissimus, ducem tanto sceleri  
se præbuit! Minister ejus Philotas Peucolaum & Demetrium,  
& hunc Dymnum, cujus corpus adspicitis, ceterosque ejus amicos, in ca-  
put meum subornavit. Post exquisita ad πῦρ & singulare commo-  
vendum verba, subdit Rex indignabundus simul ac admirabundus:  
Non



amicos circumstantes vix agnoverat. Urebat spiritum excelsum, quinto die fore in Ciliciam Darium. Vincitum ergò se tradi, obscurâq; & ignobili extingvi morte querebatur. Admissis itaque amicis pariter ac medicis: *in quo me, inquit, articulo rerum mearum fortuna deprehenderit, cernitis. Strepitum hostilium armorum exaudire mihi videor, & qui ultrò intuli bellum, jam provocor. — Lentz remedia & segnes medicos non expetunt tempora mea. Vel mori strenuè, quàm tardè convalescere mihi melius est. Proinde si quid opis, si quid artis in Medicis est; sciant, me non tam mortis, quàm belli remedium querere.* Curtius 3, 5. Huic malo cum remedium non præceps quidem, sed strenuum afferre medicorum nobilissimus, Philippus, Acarnan natione, fidus Regi admodum & à puero salutis custos atque comes datus, promississet, hoc ut ne fieret, omnium maximè Parmenio adnitebatur. Suspectum enim reddere Philippum & mille talentis à Dario emtum, nescio quibus literis prodentibus allaborabat. *Inter has cogitationes, (ait Rufus 3, 6.) biduo absumpto inluxit à Medico destinatus dies. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit. Quo viso Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam sinistrâ manu tenens, accipit poculum & haurit interritus; tum epistolam Philippum legere jubet: nec à vultu legentis movit oculos, ratus, aliquas conscientie notas in ipso ore posse deprehendere. Ille epistolâ perlectâ plus indignationis, quàm pavoris ostendit: projectisq; amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, semper quidem spiritus meus ex te pependit, sed nunc verè, arbitror, sacro ac venerabili ore trahitur. Crimen parricidii, quod mihi obiectum est, tua salus diluet. Servatus à me vitam mihi dederis, oro quæsoq; amissosq; metu patere medicamentum concipi venis, laxa paulisper animum, quem intempestivâ sollicitudine amici sanè fideles, sed molestè seduli turbant.* Rex post diem tertium convalescens experimento suo didicit Philippi fidem, cogitareq; potuit, ut post mortem Alexandri succedendi in ipsius locum copia daretur potentissimo Purpuratorum Parmenioni, ideò suspectum redditum fuisse Medicum.



§. VI. Insunt Principibus altissimæ dissimulandi mentes. Ad quod confugere asylum tot eos insidiæ compellunt; ut tuta sæpè etiam metuant. Quam ob rem Sallustius ingenia Regum *prona ad formidinem esse*, non ex vano dixit. Detecta jam per Cebalinum conjuratio complicum, & decretum simul ex consilio amicorum fuit, quæstionem de Philota, ut sceleris cogeret indicare participes, habendam. *Rex, ut silentio rem premerent, dimittit omnes. Pronunciari deinde iter in posterum diem jubet, ne qua novi consilii daretur nota.*

*Invitatus est etiam Philotas ad ultimas ipsi epulas; & non cœnare modò, sed etiam familiariter conloqui cum eo, quem damnaverat, sustinuit.*

Vide mihi artes aulicas & plus quàm militares. Dexteram amplexus, reconciliati pignus animi Philotas, convivio etiam Regio intererat. Credula & simplex nimiùm exostulatio Philotæ fuit: *Hoc quæcungq; est, confesso mihi, Alexander, remisisti. Si credidisti mihi, absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel judicium tuum serva. Quid hæc proximâ nocte, quâ digressus sum à mensâ tuâ, feci? quod novum facinus delatum ad te, mutavit animum tuum?* Regnare nempe ac dissimulare nôrat sollers Macedo. Jurares, imitatum idem facinus sub Richelio Cardinale Galliarum Regem Ludovicum XIII. Illo ipso die, (verba Benjamini Prioli sunt lib. I. rer. Gallicar. 6.) *Quinque Martio, magno stabuli præfecto, & Thuano, supplicum libellorum nuper Magistro, injiciuntur manus; quo Rex manè amplexus, & oscula Quinque Martio adjecerat, & blandâ allocutione egerat cum Thuano; factus naturâ, & consuetudine exercitus velare odium fallacibus blanditiis. Deducuntur Lugdunum rei, ubi per selectos judices, Richelii vindictæ, nondum auditâ accusatione paratos, damnantur ultimo supplicio. Tabulato ferali utriq; capita incisa.*

§. VII. Sed ad Parmenionem redeundum; quem suspectare propter *συχασμὸς* complures Alexander potuisse videbatur. Cœpit Regem æmulatio viri, quatenus videbat *acrem consilio, manu strepitum, charum Principibus, vulgo militum acceptiorem.* Nunc si insidiandi voluntatem ex impulsione atq; ratiocinatione aliquis ostenderit, non parùm onerabitur Parmeniana causa. *Impulsionem ad au-*





dendum ita Rex probavit: *subest silentio facinus, & AVIDA SPES REGNI ad ultimum nefas impulit.* Curt. 6, 9. Appetibilis nimirum bolus imperare est: cuius acqvirendi causâ jus sæpè violatur. *Αὐτὸς Τυργίνω ἰδὲν ἀλογόν, ὅτι ζυμφέρον;* ut *Ephemerus* ait apud *Tbucydidem*. His ergò agitatedum stimulus Parmenionem tanti sceleris se ducem præbuisse colligebat filius Philippi. *Ratiocinationem* si quæramus, à spe commodorum non modò, sed ab efficientium causarum nexu quoque argumentum duxit: Pater nimirum atque filius, *ut cause sociæ, pro unâ stabant.* Subolfecerat infelicissimus Philotas isthæc, & ut moveret *παῖς*, in voces lamentabiles eruperat: *Patrem nec ostendere possum, nec invocare audeo; quùm & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim tot modò liberorum parentem, in unico filio acquiescentem, eo quoque orbari, nî ipse in rogum meum imponitur. Ergò carissime pater, & propter me morieris, & mecum? Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extingvo? Quid enim me procreabas infelicem adversantibus diis? an ut hos ex me fructus perciperes, qui te manent? Nescio, adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore ætatis eripior; tibi carnifex spiritum adimet, quem, si fortuna exspectare voluisset, natura reposcebat.* Curt. 6, 10.

§. VIII. *Voluntatem sequitur facultas.* Imò hæc illam animasse credebatur. Potuit hoc perpetrare facinus Parmenio. Quapropter voluit; sic inferebat probabiliter iratus Rex. *Equitatum, optime exercitus parti, principibus nobilissimæ juventutis unum præfeci. Salutem, spem, victoriam meam fidei ejus tutelæque commisi. Patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, admoxi.* *Mediam, quâ nulla opulentior regio est, tot civium sociorumque, millia imperio ejus ditionique, subjeci.* Inimicissimus Philotæ, in paucis carus Alexandro Craterus Parmenionem *tanti exercitus ducem, inveteratâ apud milites auctoritate baud multum infra magnitudinis Regiæ fastigium locatum dixit* ap. Ruf. 6, 8. Autor *Diodorus Siculus* est XVII, 80. thesauros Regis, qui centum & LXXX. millia talentum continebant, Parmenionis fidei concreditos fuisse. Solet nimirum, atque debet nimia divitiarum & potentiae magnitudo ministrorum Regibus suspecta esse. In testimonium *Artabani, Sejani, Perennii, Plautiani, Vitaliani,* & similium sufficiunt exempla. *Quod cum*



233

cum prudenter expendisset magnus ille *Carolus*, & potentiam abuti suam Duce observasset, Comitibus commiserat Ducatus. Vid. *Lehmann. 2. Chron. Spirens. 16. Childericus IV.* autem Rex Francorum negligens cautelam hanc, dignitate suam excidit. Ac utinam non in immensum excrevisset Ottonum Caesarumque aliorum liberalitate illa etiam in Politicis potestas nimia Pontificum; minus haud dubie obnoxia Sacerdotibus auctoritas Imperii & Imperatorum foret. Quicquid ejus sit: non certe debuit in id fastigii extollere dominandi cupidum & fortunae Regiae vel aemulum, vel insidiosum Rex, ut suppar ei videretur. *Facit occasio furem, facit parricidam, facit omnia.*

§. IX. Nunc Antecedentia cum Consequentibus jungamus. Antecesserat Philotæ fatum scripta, sed intercepta postmodum, ad filios epistola, ad Nicanorem data pariter. Dubio Laconicoque genere conceptam ita prodit Curtius: *primum vestri curam agite: deinde vestrorum! Sic enim, quae destinavimus, efficiemus.* Adjecit Rex, sic esse scriptam, ut, sive ad filios pervenisset; à consensu posset intelligi: sive intercepta esset, falleret ignavos. Quae cumque sensum urgeas, suspectae erunt literae, si signis signa alia respondeant, de quibus suo loco. Consequens videlicet in Alexandrum conjuratio, & ex detecta conjuratione Dymni graviter se vulnerantis, ut subtraheretur atrocissimis tormentis, casus fuit. Dymni igitur cadaver illatum concioni, evidentis argumenti speciem ferebat. *Parmenio, inquit Alexander, ducem tanto sceleri se praebeuit. Minister ejus Philotas Peucolaum & Demetrium, & hunc Dymnum, cujus corpus adspicitis, ceterosque ejus amentiae in caput meum subornavit.* Efficacissimum apud vulgus maxime incitamentum ad indignationem permovendam est, exponere in publico funesta corporum, aut saltem vestes atque simulacra. Ut fidem universis faceret, colores varios Rex conquisivit. Pari fine novimus *Lucretiae* cadaver à *Bruto* Consule, *Cesarusque* interfecti cruentatam togam ab *Antonio* in medium exposita fuisse. ut ferali eo & in omnium oculos incurrente signo magis in furorem ageretur multitudo.



§. X. Hucusque multis oneratus præjudiciis & in speciem valentibus indiciis Parmenio fuit, extra vim metumq; tamen. Jam si per quæstionem certior extorqueretur fides, conclamata sine dubio ejusdem causa foret. Sive enim territus periculo præsentis fuerit Philotas, sive conscientia facinoris expresserit confessionem hanc, cum ante quæstionem omnia crudelitatis instrumenta proponerent tortores: *ille ultrò, quid cessatis, inquit, Regis inimicum, interfectorem confitentem occidere? quid quæstione opus est? cogitavi, volui.* Exigentiq; Cratero, ut, quæ confiteretur, in tormentis quoque diceret, malorum causam in Hegelochum rejecit primò; mox, cum admotis iterum tormentis os atque oculi everberarentur hastis: *festinasse se, dum præmium haberet in manibus, respondit. Representasse consilium, cujus patrem fuisse auctorem, nisi crederent, tormenta, quanquam tolerare (amplius) non posset, tamen non recusaret.* Etiam post quæstionem omnia agnoverat, participesq; sceleris nominârat reliquos, qui dato signo saxi obruti fuerunt. Suo igitur damnatus testimonio Philotas pari infortunio involyerat Parmenionem patrem.

§. XI. Ponatur interim innocentissimum Parmenionem exitisse, habebunt duo tamen, quæ urgeri possunt pondera, accusatores. Primum à jure Macedonico, seu more potius, petitum; alterum à jure dominationis. De priori Rufus 6, 11. *Lege Macedonum cautum erat, inquit, ut propinqui eorum, qui Regi insidiati erant, cum ipsis necarentur.* Factum inde, ut, postquam Philotam torqueri fama vulgaverat, propinquorum alii se interfecerint; alii in montes devios vastasq; solitudines confugerint. Alibi etiam Curtius 8, 6. de insidiis periculo majore Alexandro postea paratis cum cognosceretur, patres propinquosq; eorum, de quibus agebatur, interfuisse memorat, ne de suâ quidem salute securos. *Quippe Macedonum more perire debebant, omnium capitibus devotis, qui sanguine contigissent eos.* Nec Macedonum hic saltem, sed gentis politissimæ Atheniensium mos quoque, imò & Persarum fuit. Sic Artabmum Athenienses quòd aurum corrupendis ex Persia Græcis

attu-



235

attulisset, ignominiosum populi & sociorum Atticorum hostem esse  
jusserunt, ipsum & genus ejus. Demosth. Panath. Rectè tamen  
Marcellinus 23, 31. Persarum leges istiusmodi, per quas ob unius no-  
xam propinquitas unius perit, abominandas nominavit. Injustum  
enim est, manere eos pœnam, à quibus haud peccatum est. Sed de hoc  
alibi. Jam enim non in confutando occupamur: causâ exercitii  
probamus potius, quòd in civili jure etiam extensæ in liberos pœnæ  
propter crimen læsæ Majestatis aliquod vestigium reperiatur l. Quis-  
quis C. ad L. Jul. Maj. Filii verò ejus, (verba Arcadii Honoriiq; Impe-  
ratorum sunt,) quibus vitam Imperatoriâ specialiter lenitate concedimus,  
(paterno enim deberent perire supplicio, in quibus pater-  
ni, hoc est, hereditarii criminis exempla metuuntur) à maternâ vel avi-  
tâ, omnium etiam proximorum hereditate ac successione habeantur alie-  
ni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuò egen-  
tes & pauperes; infamia eos paterna semper comi-  
tetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacra-  
menta perveniant: sint postremò tales, ut his perpetuâ egesta-  
te sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.  
Causam si horrendi quæras carminis; proverbium respondebit  
notum:

*Desipit occidens qui patrem pignora servat.*

Quare & secundum Carolinam Nemelin artic. 218. sollen Weib und  
Kinder an Bettelstab / und das Gut dem Herrn zugegeben werden.  
Vid. Jacob. Gothofred. discurs. ad l. d.

§. XII. Jure autem Dominationis, sive Regni occidi Parme-  
nionem ab Alexandro potuisse, certâ ratione statuit Clapmarus 4. de  
Arcan. Rer. publ. 12. Eodem jure, inquit, adversus Parmenionem  
usus est Alexander, de cujus tamen crimine adhuc dubius sum, & quæ  
sequuntur. Supplicium ab ejusdem crimine distingvit. De hoc dubi-  
tat; illud jure factum, & quidem optimo, existimat. Rationem si  
desideres, exempla in Historiis occurrere non una, ait, horum, qui manus  
& imperio militari, in ipsâ oppressi verba sunt. Adducit fatum maximè

Seja-



*Sejani, Cecina, Consularis, & occisi ab Henrico III. Galliarum Rege Gvisi.* Addit: *in turbulentâ ac seditiosâ Republ. non solum necessitatem, sed equitatem etiam postulare, ut manu potius & imperio militari Respublica componatur, quam jure & processu ordinario;* per l. 3. D. Ne vis fiat ei, qui in poss. miss. est, & l. 16. D. de Appellat. Hoc argumentum ut est admodum vexatum & ab interiori statu etiam peti- tum; sic in casus & exempla paullò fusiùs hîc excurreremus.

§. XIII. Ponamus, esse celsissimæ dignationis virum, qui non modò consiliis & exemplis leges publicas transgressus sit pro- tervè, sed & contra summum caput suum, & adversus statum Reipu- blicæ totius pessima quæque machinatus fuerit; quis neget, sine stre- pitu forensi abripiendum talem, si periculum in morâ sit, ad pœnam suo merito contractam? Hoc nimirum fundamentum erat, cur Ca- tilinariæ conjurationis complices *Antonius, Cethegus, Lentulus, Var- guntejus* similesque, ex sententiâ Catonis etiam ac Ciceronis Cons. in carcere, ut parricidæ, protinùs strangularentur. Hæc ratio, cur *Artaba- num* perfidum, bellicosum aliàs ac præpotentem virum, ideoq; for- midandum, cum nihil mali suspicaretur, transfixerit Rex *Artaxerxes*. Et quid aliud *Antigonus* cum *Pitbone*, Mediæ præfecto, sed rebelli fe- cit? Quid *Otto* II. Imperator cum Proceribus & Cardinalibus Ro- manis, loco celeberrimo invitatis, quos ad apertas convocare pœ- nas commodum haud vilum fuit, fecerit, *Fabricius* immane factum memorat lib. I. rer. memorab. ad Ann. DCCCC LXXXII. *Convivio ex parte agitato, Imperatoris Cancellarius in medium procedit, nocentes de libello legit, (parem nempe culpam ex fugâ & prodicione contra- xerant cum Beneventanis, ) qui rapti de tricliniis capite puniuntur in conspectu omnium. Imperator reliquos stupidos (rectiùs stupentes) & trementes securè epulas continuare jubet, quibus conscientia solatio sit, & innocentia incolumitati.* Ut de *Bironi*, de *Quinque Martii* & *Thuani* junioris casu suprâ memorato, nihil ampliùs adjiciamus; pauci efflu- xère anni, cum in Hispaniâ maximus minister, priusquam se delatum ad Reginam poterat hariolari, in vincula conjectus & enectus citra inquisitionem præviâ fuisset. Solet sæpè conjurationis crimen at- que perduellionis absque causæ præviâ cognitione subitò consultiùs puniri, propter publicam salutem, veluti supremam legem. Eandem ob causam Ducem militum supremum *Carmaniolum* novimus, per-  
duel-



237.

duellionis in Rempublicam Serenissimam perjuriiq; reum mirā de-  
ceptum arte per simulationem eequidem fuisse. ut prius captum se  
viderit & damnatum, quā suspectum credidisset: teste *Job. Baptistā*  
*Egnatio* lib. 2. de exemplis illustrium Viror. Civit. Venetæ.

§. XIV. De *Walsteinii* morte varia variorum afferri aliās  
judicia, ut non ignoro, sic tantū adscribam elegantissimi Scripto-  
ris, qui rerum Germanicarum epitomen ab Anno clō Iōc XVII. ad  
Annum Chr. clō Iōc XLIII. tersē ac nervosē tradidit, sententiam:  
*Walsteinus* (inquit ipse ad An. dict.) *jam summæ potestatis, quā su-  
prā ipsum Casarem elatus erat, reiq; ipsius, nisi etiam nomen haberet, per-  
tasus, certusq; flagitii, ad quod facillimē ab hujusmodi voto transitur,*  
*omnes primorum ordinum duces in novi formam sacramenti adigit,*  
*non permissuros, ei à Casare imperium abrogari. Apparebat plerisq;*  
*quantum è Republicā peteretur; sed sevitiā hominis, quā ille aliās pro*  
*virtute utebatur, veriti subscripsere, eandem illi fidem servaturi, quā*  
*ipsi Casari.* Hactenus de culpā Autor, cum periculo; jam de exitu &  
pœnā paucorum interjectu subdit: *Dum Imperator consiliis terendo*  
*tempus, magis imitatur Principem, quā representat, fortuna ejus motu*  
*proditorem proprio confecit. nam eo jam nomine suo monstratus Wal-*  
*steinus, desertusq; ab eis, quibus aliqua honesti cura, Pilsenā, quæ conju-*  
*rationis sedes erat, Egram pertendens, solos eorundem, ad extremum con-*  
*siliorum comites habuit Terschium, Kinschium & Iloum; sed eādē ad-*  
*ventus sui nocte à presidariis loci, Scotis genere, Lesleo auctore, cum*  
*sociis occisus, tantarum rerum omnem in partem, quomodocunq; super-*  
*vixisset, ancipitem motum brevi exitu composuit. Nemoq; eo extincto*  
*aut conscientiam facinoris ultra executus aut ultus est. Sola ut fortuna,*  
*(imò providentia cœlestis) familiam Austriacam, quæ à lapsu tum pro-*  
*pè abfuit, in fastigio suo conservavit, quod properè in capite*  
*ipso vindicata conjuratio spatium non dedit clementia Cesa-*  
*ris; quæ æquè noxia, ubi nulla, & ubi nimia, vel cum miserantis periculo*  
*conjuncta est.* Sumant igitur Manliani animi hi documentum, pro-  
sperè verlandi cum Magnatibus, à Meccenate, aut Hephæstione, Ma-  
jestatis interpretandæ vindicandæq; accuratissimis magistris.

§. XV. Sed hæc in ministris, etsi maximis, cum peraguntur,  
admirationem, & quandoq; etiam stuporem movent. In filio au-

C

tism



tem eodemq; unico, Regnorum plurium legitimo hærede simile quid fieri potuisse, ecquis credat, nisi factum esset? Memorabilis præ omnibus historia *Caroli Hispani, filii Philippi II. Hispaniarum Regis* est. Quam ut non obiter tractavit *Metteranus* lib. 3. *Hist. Belg.* ad Ann. Chr. 1568. sic longè tamen accuratiùs expendit, & cum causis circumstantiisq; didicit à *Ludovico Foxio*, *Escurialis Palatii ac Monasterii Regiâ magnificentiâ extracti architecto incomparabilis Thuanus* *Histor.* lib. 43. *Sub id tempus*, ait, *de Carolo Hispanorum Principe in carcerem à patre coniecto affertur. De eo varii sermones sparsi, in id consentientes, quòd juvenis acer, vehementer ac supra modum ambitiosus & imperii cupidus suspicionem novarum de se, apud patrem suspicacem excitasset. Voces certè ejus, quasi Belgarum (in quos tunc inquisitio feralis parabatur) vicem miserantis & seditionem excitantis, ab emissariis exceptæ, & ad patrem perlatae fuerant; quas sic pater accipiebat, quasi filius fugam & protectionem secretam in Belgium meditaretur: odia prætereà manifesta notaverat contra Albanum, Rodericum Gomefium Silvam & Johannem Austriam, notum, qui principem gratiæ locum in aula tenebant. Induxerat & in animum, insidias sibi à filio paratas, idq; pluribus indiciis sibi persuaserat. Enumeratu longius fortasse foret, quibus artibus munire se adversus omnem impetum studuerit, & quâ deceptus tamen iterum calliditate fuerit hic Carolus, exponere. Per insidias temporis ac invidorum, altissimo oppressus somno, excitatur, cum *Lermæ Comes* scloppetos gladiosq; sub pulvillo delitentes subtraxisset. Pulsante eum cubito *Gomefio Sylvâ, Ferie Duce*, vix potuit expergefieri. Tandem depulso somno, ubi se captum, & patrem adesse cognovit, mortuû se inclamans, insuper etiam adstantes, ut se interficerent, lamentabili rogavit ejulatione. Increpitum gravi oratione filium Philippus surgere jubet, amotoq; omni asveto famulitio custodes ei apponit, qui vestem lugubrem misero circumponunt addito nigro pileo & aulæis, lectoq; principali magnificentiâ strato mox detractis, ex omni regiâ suâ plectile curule grabatum cum culcitrà reliquum fecerunt. Ita ille omni ope destitutus ex desperatione in furorem vertitur, ut non unâ viâ in mortem sibi consciscere aggrediretur. Igitur pater ubi vidit (utimur adhuc *Thuani* verbis) sic ingenium filii esse, ut nec ratione, aut castigatione ulla sanari posset, re rursus cum *S. Inquisitionis officio**



239.

*cio communicatâ, æquum judicavit, priusquàm ille sibi ipsi detestando parricidio manus afferret, ei tanquàm reo damnato vim à legitimo Magistratu afferri. Quod, ut Regii nominis Majestati consuleretur, clam factum, propinato in juscuro veneno; quo sumto, paucis post horis, viribus linquentibus, defecit, cum XXVII. annum attingisset. Adeò periculosum est, hoc crimine vel dubiis saltem notis attineri, ut in proprio vindicare sanguine nefas lælæ Majestatis, à Summatibus haud dubitatum fuerit, qui districtâ curâ auctoritatis retinendæ perennem Regni firmitatem veluti ex fonte derivare solent.*

§. XVI. *Signa quæ supersunt, admonent nos, ut ad Parmenionem redeamus. Tenendum generatim, multa ex suspitione signa, & à signis argumenta duxisse Alexandrum. Sunt nimirum (uti Comineus tradit lib. 1. c. 6.) Principes præpotentes suspiciosiores ceteris hominibus; propter copiam deferentium hinc inde monita, & cautionum causas: sæpius verò per adulationem & delationem eis abutentium. Sapienterne id, & ex decoro fiat? si quærat; idem alibi (lib. 3. c. 5.) respondet: Nequaquàm pudori esse sapientibus debet, suspiciosos esse, & accuratè venientes abeuntesq; observare. Rectè tamen limitat: suspiciones intra modum esse debent. nam indulgere bis, nequaquàm utile, bonive animi est. Improbis Macedo Chimæras nescio quas sibi figurabat. Occasio orbitatis igitur suspitione Regni oneraverat Parmenionem. Orbitas quoque mea, (sic loquentem acer Scriptor introducit, 6, 9.) quòd sine liberis sum, spernitur. Contempta quippe ac injuriæ obnoxia, tanquàm nullo vindice. Ut contra liberi subsidia sunt dominationi. In eam sententiam Euripides:*

— — Τύραννοι παῖδες ἰρῦμα δώματα.

*h. e. vertente Lipsio: Munimen aula regii sunt liberi. Svetonius de Galba 17, 1. Despectui esse non tam senectam suam, quàm orbitatem ratus, Pisonem & c. filiumq; appellans, perduxit in castra. Quà de causâ Nerva, qui propter senectutem minimè honorabatur, in Capitolium conscendit, ibique magnâ voce: quod felix faustumq; sit, Trajanum adopto. Videatur doctissimus Freinsbemijs ad all. loc. & egregius Forstner. ad 1. Tac. Ann. 3, 1.*



§. XVII. Sed nunc ad signa speciatiim accedamus, eademq; in presentia, præterita, & futura (ita etenim Metaphysici philosophantur,) partiamur. Præfens conjurationis contra Regem hoc sufficisse signum videbatur duplex, (1.) Cadaver Dymni & αὐτοχρησίας ejus; (2.) Epistola Parmenionis Laconicè ac perobscurè scripta. De utroque Curtius VI, 7. refert: *Dymnus haud ignarus quam ob causam accerseretur à Rege; gladio, quo fortè erat cinctus, graviter se vulnerat &c. itaq; edito gemitu, vultuq; à conspectu Regis averso, subinde collapsus exstinguitur.* Epistolæ Parmenionis interceptæ, quam ad filios Nicanorem & Philotam scripserat, hæc summa fuit: *primum vestri curam agite: deinde vestrorum; sic enim, quæ destinavimus, efficiemus.* Adjecit Rex, sic esse scriptam, ut, si ad filios pervenisset, à consciis posset intelligi; si intercepta esset, falleret ignaros. Idem VI, 9. Vides hinc indicium subfuisse geminum, à factò Dymni conjurantis & seipsum occidentis, nec non à scripto Parmenionis ad filios epistolio petito. Ad prius satis probabiliter responderat in vinculis Philotas; posterius vix conjecturæ locum dederat.

§. XVIII. Præterita examinemus signa, & an plus sub recessu habeant, dispiciamus. Proxima Philotæ cum Amynta necessario, sed insidiantis Alexandro intercesserat familiaritas. Arguebatur itaque ex socio Philotas; ex Philotâ filio Genitor Parmenio. Accessit audax etiam responsio ad Alexandrum scripta; cum nimiam fretus, vel abusus amicitiam, liberiùs ac ferre poterat humanam supergressus sortem Jovis filius, indignaretur. Produendus ipsemet in causâ propria iudex, actor, testis, Alexander: *Philotam indicat vita. Hic Amynta, qui mihi consobrinx fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparavit insidias, socium se & conscium adjunxit. Hic Attalo, quo graviolem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, cum scripsissem ei, pro jure tam familiaris usûs atq; amicitia, qualis fors edicta esset Jovis Hammonis oraculo, sustinuit rescribere mihi: Se quidem gratulari, quòd in numerum Deorum receptus essem. Ceterum, misereri eorum, quibus vivendum esset*

esset



292  
esset sub eo, qui modum hominis excederet.

Hæc sunt animi pridem alienati à me & invidentiæ gloriæ meæ indi-  
cia. &c. Nec quivquam adhuc diximus de conjurationis & periculi  
imminentis occultatione, ac indicii procrastinatione, in negotio ad  
caput Regis pertinente: quam utramque culpam in Philotâ graviter  
exaggeravit inter lacrimas ad cælum manus tendens & obstupefa-  
ctus porro Rex, apud *Rufum* VI. 7, 28. Hoc vel solum tanti ponde-  
ris videtur argumentum, ut, si excurreremus in amplificationem e-  
jus, fatendum foret denique, jumento sibi proprio accersivisse istud  
infortunium Philotam, & (quæ perpetua connexio est) Parmenio-  
ni Patri.

§. XIX. Sed ne longius hæc operâ excurret præter destinatum,  
quæ futura adhuc restant signa, expendemus. Suspecta semper fi-  
des ministrorum opibus immensis & potentiâ nimiam pollentium in  
Monarchia. Quis auctoritate gravior & potestate inter Alexandri  
Duces Parmenione? quis opulentior Philotâ fuit? De illo *Cra-*  
*terus* per invidiosam consultationem ad Hammonis filium: *Patrem*  
*Parmenionem* (inquit apud *Curt.* VI. 8, 7.) *tanti Ducem exercitus &*  
*inveteratâ apud milites tuos auctoritate, haud multum infra magnitu-*  
*dinis tuæ fastigium positum, scis, non æquo animo salutem filii sui debi-*  
*turum tibi.* Agnoscit idem & fatetur Rex solus dominandi avidis-  
simus VI. 9, 22. *Patrem in idem fastigium, in quo me ipsi posuistis, ad-*  
*movi. Mediâ, quâ nullâ opulentior regio est, tot civium sociorumq;*  
*millia imperio ejus ditioniq; subjeci.* De hoc verò *Belon*, inter duces  
manu strenuus ac vetus miles, VI, II, 3. *Auro argentoq; vehicula*  
*Philotâ onusta totis stetit vicis,* clamat. In Democratiis (apud A-  
thenienses maximè) id usu olim quoque venerat, ut Ostracismo  
pollerentur urbe, non qui malè meritis civibus, sed qui inter cæ-  
teros eminentiores essent aliosq; antecellerent virtute. Hoc ju-  
dicio affectus Themistocles, Aristides, Cimon, Alcibiades, & quis  
non deniq;? De quibus, ipse viderit, quàm justè judicaverit *Clap-*  
*marius* (IV. de jure Dominat. II.) scribens: *Sanguinis emissionem &*  
*purgationem plurimum etiam boni sanguinis ejici & abradi. Expedi-*  
*tamen, nisi vobis vitæ periculum facere. Eadem est ratio in Rep. in qua*  
*nonnunquam reperiuntur, quorum virtus ita in conspicuo est, ut facilè*  
*studia vulgi ad se trahant vel invitè, quibus Resp. evacuati oportet.*



Et post pauca: *Hæc etiam est natura Regni, ut ait Seneca: cedat, quicquid excelsum est. Sibi verò imputet, quòd nimis virtutes suas ex-erit, quas nonnunquam dissimulare atque occultare, boni ac prudentis viri est. Quam calluisse ac excoluisse artem scientissimè Pomponium Atticum, in vita ejus Nepos autor est.*

§. XX. Ex potentiæ ac opum validissimo paratu novò & tantùm non capitali crimine oneratus à Pellæo juvene Parmenio. *Avida Spes Regni præcipitem animum ad ultimum nefas impulit. Pater Media præest. Ipse apud multos copiarum duces meis præpotens viribus, majora, quàm capit, spirat. Sic Alexander apud Curt. VI. 9, 11 Et inter carnifices quæstionibus expositus Philotas fatebatur; Parmenioni, vivo adhuc Dario (interficere Alexandrum) intempestiva res videbatur; non enim sibi, sed hosti esse occisuros Alexandrum: Dario verò sublato, præmium Regis occisi Asiam, & totum Orientem interfecto-ribus esse cessurum.*

Ruf. VI. 11, 29. Hæc impulerint illum ad cupiditatem regni, an tantùm suspectum fecerint? ambigi potest; ut exquisitè idem scriptor judicat. Quia Philotas ultimis cruciatibus victus verané dixerit: quæ facta probari non poterant; an falsis tormentorum petierit finem, re quoque recenti, cùm magis posset liquere, dubitatum est. Quicquid ejus fuerit; vulgatum *Cæsaris Julii* verbum ex Euripide in Phœnissis à *Thebano Eteocle*, dominationis cupido peti- tum stimulare potuit Parmenionem:

Ἐἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυρανίδῳ πέρη  
 κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρέων.  
*Si quidem violandum est jus, regnandi gratiâ  
 Violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

Ut Cæsar igitur, cujus hoc erat Symbolon, nec ferre parem, nec superiorem pati poterat; sic ante eum Alexander Macedo Dario supplici negabat, *mundum duobus regi posse Solibus.* Ad quam mentem *Seneca* prudenter: *nec Regna socium ferre,*

*nec tædæ sciunt.* Hoc illud ulcus erat, quod malè habuit Monarcham; quod tangere Parmenio haud debuit.

CAPUT III.



293

CAPUT III.  
CONTENTA EJUS.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Examinatur Parmenionis ausus<br>in statu definitivo. Bæcleri ver-<br>ba αξιουνημóνευτá de definitio-<br>ne criminis nefandi contra Maj. | 3. Lex Majestatis tyrannico am-<br>pliata olim more ad casus for-<br>tuitos, etiam ridiculos.           |
| 2. Notatur Hotomannus & Jacob.<br>Gothofredus circa banc mate-<br>riam.  | 4 Exaggeratur facinus Parmenia-<br>num ex statu Qualitatis.<br>5. Tum deniq; ex Statu Quanti-<br>tatis. |

§. I.

Huc usq; dum in accusando Parmenione operam locavimus, Hex Conjecturali statu quæstionem principalem, quòd insidia-  
tor vitæ fortunæq; Regiæ extiterit Parmenio, probavimus ex volunta-  
te, facultate, variisq; signis. Restat, ut eamus, sed compendiosio-  
re viâ, per definitivum, qualitatis pariter & quantitatis statum.  
Definitivus, quodnam sit facti hujus nomen? quærit. Posito nimi-  
rum, vitæ ac fortunæ Alexandri Parmenionem cum filio per alios,  
ceu percussores insidias struxisse; quantum criminis contraxerit,  
quis non intelligit? Dicit vix potest, (inquit Vir exquisitissimi judi-  
cii Bæclerus, dissertat. Acad. 3. de Eloquentia Viri Civilis, p. 175.)  
quantum subtilis & ardua prudentiæ lateat in hac materia: ad quam,  
tanquam ad tremendum mysterium nunquam securè accedendum est.  
Scilicet cum Majestatis causæ plerumq; non tam formulis juris  
definiantur, quam ex regulis statûs, aut utilitate Reip. adeoq; pru-  
dentiæ interioris arbitrata agitentur, ante omnia per singulas par-  
tes noscendum est, quæ tempora, quæ causæ, quæ jura, crimen  
Majestatis vel angustius circumscripterint, vel porrexerint latius,  
vel effinxerint speciosius, vel sollertiùs tractaverint? quid discipli-  
næ Reipublicæ, quid consilii dominationis datum? quid Regno-  
rum necessitudo, quid Tyrannidis impotentia in hoc argumentum  
intulerit? Sicut enim ad gubernandas imperii utilitates non unum  
adferunt ingenium, aut eandem morum consuetudinem sive Princi-  
pes, sive Principum adjutores: ita nec Majestatis crimen unâ omnes  
viâ aggrediuntur, aut unâ judicant sententiâ. Quidam enim (ut i-  
dem



dem ait alibi, Programm. Academic. XVI.) generosas & magnitudine Principalis fastigii animiq; dignas curas, pro consiliorum norma amplexi, omnia malunt ex causâ moderationis gravitate, tanquam ex fonte derivare: - Aulam periculosè à Rep. in hoc negotio sejungi; gravitate judiciorum plus profici ad famam & potentiam, quàm severitate vindictæ: plus in auspicio regali fastigii esse, quàm in gladio: præsertim autem in divinæ cura providentiæ, quæ Reges amat unicè tueurq;. Alios autem animosior pro incolumitate Principum sollicitudo, aut usus Aularum interior in districtâ præsentioris imperii judicia & severitatem vi Principatûs dignam rapit. -- Rem tam divinam, inveniunt, tam sanctam, adeoq; tam teneram ne attaminari quidem, citra Reip. periculum posse: pertinere ad securitatem omnium, quæ unquam sint Regnorum, ne ullibi Regum quisquam impunè violetur: ex indole delicti nullum hîc clementiæ, nullum veniæ locum esse: nullam emendationis spem in eo superesse, qui tantum semel furorem admisit: ita plurimis noceri, dum paucis parcitur: dissolvi vim Principatûs, nisi vincula, quibus continetur, ex quavis occasione arctius adstringantur: præsidia Regnorum non permitti fortune meritis, sed præsentissimâ manu constitui oportere.

§. II. Nunc ubi definitio criminis hujus quæritur, non parci sunt aut timidi interpretes, quicunq; acrioribus Principatûs consiliis insuevere. Quod in culpa silentii crebrius hîc occurrente, observare licet. Non confundendum tamen Majestatis atque perduellionis crimen. Rosinus (8. Antiquit. Romanar. 23. ex Francisc. Hotomanno quadruplicem inter utrumq; differentiam adducit. Primò Majestatis crimine tenentur ii, scribit, qui vel partem aliquam Reip. læserunt; veluti, si quis duces hostium pecuniâ acceptâ liberavit; aut privatus domi suæ hostium duces tenuit: aut si Magistratui quippiam, pro suâ potestate agentis aliquis officiat, veluti C. Cornelius, quem Cicero defendit. Perduellionis autem crimen in eos cadit, quæ summam Reip. labefactare conati sunt. Altera differentia est, quòd Majestatis in foro apud suum Prætorem pro tribunali judicem, temporibus, à Duumviris datâ operâ creatis, post autem à populo Romano Comitibus Centuriatis, in Campo Martio cognoscatur: quemadmodum ex Oratione Ciceronis pro Rabirio planè

nè



245.  
nè constat. *Tertia* differentia est, quòd Majestatis crimen non morte, sed exilio mulètabatur: perduellionis verò damnatum carnifex in Urbem vocatus in crucem Martio in campo fixam tollebat. *Quartam* differentiam ostendit Ulpianus l. ult. ff. de Crim. Maj. quòd Majestatis imminutæ crimen oblitteretur rei morte: perduellionis autem memoria post mortem etiam damnetur. Sed hæc Romanorum desitas lucernas olent. Ad nostrum si respiciamus casum, Majestatis crimine notabilem, judicio Alexandri & Macedonum Regis amicorum, habitum Parmenionem, nulli dubitam9.

*Quod crimen maximum & salutis desperationem*

nominavit Alexander apud Curt. X, 1, 7. Qualis autem illa violatæ Majestatis species dicenda videatur, parùm nostra refert. *Jacobus Gothofredus* in discursu hist. ad L. quisquis C. ad L. Jul. Maj. c. 5. quatuor enumerat: primam vocat *perduellionis*; secundam *læsæ venerationis*; (quæ fit per maledicta, aut violationem statuarum,) tertiam *auctoritatis*, sive *potestatis publicæ turbatæ*, cum quis supremo Magistratui pro potestate aliquid agenti obstringat, vel jura Majestatis etiam affectat; quartam *πλασικὴν & exemplarem*; cum quis per factionem, Principis molitur necem, & in personam ejus impi9 existit. Quæ quàm inconvenienter asserantur, quàm malè etiam distinguantur ab eodem, inquirere non vacat in præsentis. Sufficiat notasse, apud Græcos ἀσεβείας ἔγκλημα pro Majestatis crimine adhibitum. Ut ἀσεβῆσαι dictus sit & sacrilegii postulator, qui vel honores debitos Principibus negaret, atque veluti suffocaretur.

§. III. Apud Romanos Cæsares lex Majestatis munimentum Principatûs adeò fuit efficax, ut in amplianda illa plurimi Imperatorum veterum exercerent vires suas. Quæ cum expendere doctissimus *Clapmarus*, haud iniquè judicavit: (lib. 5. de flagit. dominat. c. 16.) illud non tam jus dominationis, quàm flagitium retulisse, quod ad minima & ridicula quævis porrexerunt. Ut si quis minimum vel ridiculum corpore inter Principis cultores adscivisset. Si quis nummum, vel annulum effigie Principis signatum passus fuisset sibi decidere in cloacam; si quis eosdem in lupanar attulisset; & id genus plura alia ineptiora. Sic apud *Senecam* l. 3. de benef. c. 26. Senator quidam Majestatis accusatus veniam à *Tiberio* id

D

pro



propter petiit, quòd matellam attigisset priùs, quàm annulum  
(imagine Tiberii insignem) detraxisset digito. Sub *Domitiano* in-  
terfecta mulier (in Domitiani vita) dicitur à *Xiphilino*, quòd ante  
statuam illius posuisset vestem. Eadem sub *Valentiniano* & *Va-*  
*lente* pestis. In chartis municipis alicujus clari nempe, *Valentis*  
genitura cum inveniretur; quanquam is fratrem suum *Valentem*  
quendam fuisse, dudumque obiisse docuisset, quasi Principis con-  
stellationem collegisset, *Ammiano Marcellino* teste, trucidatus  
est. Exempla plura immanitatis ejus in not. Politicis ad I. An-  
nal. Tacit. collegit maximus *Forstnerus* p. m. 160. & seqq. & *Emund.*  
*Figrelus* de statu illust. Rom 636.

§. IV. *Definitivum* statum status *Qualitatis* sequitur. Quan-  
do quidem sic comparatum cum priori fuit, animosiùs pronuntia-  
re de posteriore liceat. *Jurène an injurià Parmenio sit trucidatus?*  
*Negotialis* nihil hìc ad *Rhombum*; *Rationalis* juxta *Qualitatem* sta-  
tus jure factum asserit. Qui cum iterum sit duplex, *Absolutus* at-  
que *Assumptivus*, misso hoc, ad illum unicè respiciendum. Vulgò sex  
statuunt statûs *Absoluti* locos: *jus Naturæ*, *legem scriptam*, *consue-*  
*tudinem*, *æquum & bonum*, *judicatum seu exemplum*, denique *& pa-*  
*ctum*. Nec ubique tamen locus illis simul est; nec, si esset, coge-  
ret nos ad prolixitatem. *Jus Naturæ* dicitur: *Deum colas*. Ha-  
bes in *Regibus* expressum *DEI* characterem. *Dii* enim & *fili* *Altissimi*  
consalutantur. *Naturæ* etiam dictamen est: *Parentes honorato!*  
*Pater* est, *Rex* bonus, tantoque venerandus magis, quanto major i-  
pse & communis *Pater Patriæ*. *Ipsa* etiam *indolis* solertioris bru-  
ta suos venerantur *Reges*, suum reverenter habent caput. *Leonem*  
*quadrupedia* non lædunt, non laceffunt. *Aquilam* universa *avium*  
*caterva* quàm formidat atque reveretur? *Prudentissimum* *apicula-*  
*rum* genus quàm sollicitè, quàm fidelissimè observat regem suum?  
*Improbè* *Parmenionem* igitur *ministram* tale contra *Regem* suum  
cogitasse nefas, quis ex superioribus non colligat? *Præterimus* *scri-*  
*ptam Legem*, *judicatum* pariter & *pactum*, *Consuetudine* contenti  
atque æquitate. *Jus Gentium & populorum Con-*  
*suetudo*, si à primis inde seculis rem æstimemus, exigit, ut vi-  
tam,



247.

tam, sanguinem, fortunas omnes ubi opus fuerit, pro salute impendamus Principis. Prodeant universæ, quotquot fuerunt, aut sunt gentes, deliberent, pronūtient. Consensum semper in id fuit, colendum, timendum, & omnigeno obsequiorum genere prosequendum Principem. Loquantur Asiatici, fateantur Africani, ac ipsi Orbis hemisphærio dirempti barbari, Americani hinc definiant. Ipsa *naturalis æquitas*, ut pii erga Patres Patriæ, ut grati erga salutis ac securitatis publicæ auctores, ut pro summo Capite submissè ac solliciti constanter simus subditi, requirit. Summum orbis imperium Alexandro Deus dedit: Parmenioni & Philotæ gloria obsequii relicta tantum erat. Hos & perfidiæ, & sacrilegii, & parricidii, qui Majestatem violare non erubuerunt, quid vetat postulare?

§.V. Superest paucissimis attingendus *Quantitatis* status. Cognoscendum ex hoc, quantæ fuerint, & quàm atrocissimæ Injurie, quas Parmenio per filium, filius per conjurantes aliquot in Alexandrum machinatus est. Animum extremè depravatum arguit præmeditatum pridem facinus. Adversus quem verò? contra fortissimum Sapientissimumq; Regem: contra benefactorem maximum & patrem: contra Græciæ & Asiæ Monarcham, nec liberis, nec prole masculâ gaudentem. Quo verò tempore? & ubi gentium? Prodeat Amyntas Regis Prætor: *proditos se esse barbaris*; (quos inter tunc exercitus agebat) *neminem ad conjugem suam, neminem in patriam & ad parentes fuisse rediturum. Velut truncum corpus demto capite, sine spiritu, sine nomine, alienâ terrâ ludibrium hostis futuros.* Prodeat Rex ipse atque audiatur: *Quam feliciter in acie occidissem! potius hostis præda, quàm civis victima. Nunc servatus ex periculis, quæ sola timui, in hæc incidi, quæ timere non debui. Ad vestras manus, milites, ad vestra arma confugio: invitis vobis salvus esse nolo; volentibus, non possum nisi vindicor.* Curt. VI, 9, 23, & 28. Sceleris gravitatem arguit *αυτοχρησία* Dymni, qui de veniâ omninò omni desperavit. Quanta quæso hæc injuria censenda, quæ



248  
 QX  
 Tn  
 318

quæ nec corrigi remediis, nec pari poenâ vindicari potest?  
 Quàm pessimum exemplum *Hermolao, Antipatro, Asclepiodoro*  
 aliisque dedit? Vid. *Ruf. VIII, 6.* Vulnus vulnere ulciscendum,  
 eundem per extrema Alexandro visum fuit. *Ubi enim reve-*  
*rentia animis excessit, & summa inis confunduntur, vi opus, ut vim*  
*repellamus; sic inferente Rege ipso, ap. disertissimum Scripto-*  
*tem, l. VIII. c. 8.* *Discant ex tragœdia Parmenio-*  
*nis, discant ex tot casibus feralibus mortales,*  
*quid sit violare Regem, unctum Domini, bo-*  
*numq; Principem, quem vigil pariter ac*  
*vindex Providentia tue-*  
*tur.*





218.

